

25
DE
RETENTIONE PIGNORIS

IN
CONCVRSV CREDITORVM
SECVNDVM IVS SAXONICVM ELECTORALE
EX VLE

DISSE RIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII CONSENSV
DISPV TATIONES

SVPER

THESIBVS IN AVDITORIO ICTORVM INSTITVENDAS
INDICIT

IO. ADAMVS THEOPHILVS KINDIVS

IVRISSCIENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR SVPREMÆ IN PROVINCIA
CVRIAIE ASSESS. IVRIS SAXONICI PROF. PVBL. ORDINARIUS
ACADEMIAE LIPSIENSIS SYNDICVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA BREITKOPFIA.



THEATRUM MUSICO-PICENORUM

MUSICO-PICENORUM
LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANOVER

THEATRUM MUSICO-PICENORUM

VOLUME IV OF THE LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANOVER
MUSICO-PICENORUM

EX LIBRIS OF THE UNIVERSITY OF HANOVER
MUSICO-PICENORUM

THEATRUM MUSICO-PICENORUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANOVER
MUSICO-PICENORUM

THEATRUM MUSICO-PICENORUM

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF HANOVER
MUSICO-PICENORUM

DE
RETENTIONE PIGNORIS IN CONCVRSV
CREDITORVM SECUNDVM IVS SAXONICVM
ELECTORALE EXVL.

S. I.

De iure retentionis, quod pignori inest.

IVS RETENTIONIS, cuius natura et indoles consistit in facultate, rem alienam vel alteri debitam ex sua possessione haud prius dimittendi, quam de eo, quod ab altero vicissim debetur, satisfactum sit, exoriri constat vel immediate ex lege vel ex dispositione priuatorum, veluti testamento ac conuentione eadem que sive expresse sive tacite inita ^{a)}. Hic subsistamus in iure retentionis conuentionali, quoad pignori inest. Quemadmodum ius retentionis, ut vel ex ipsa rei natura patet, haud sine possessione rei alienae vel alteri debitae intelligitur, ita prono inde alueo fluit, retentio nem non cadere in omnes pignoris species, sed tantummodo in pignus sensu strictiori acceptum, quo est

A 2

三

a) WOLFG. AD. LATTERBACH circa ius retentionis (*Erf.* 1737)
diff. de retentione: in Ej. Dissertat.
GE. LVD. BOEHMER de iure reten-
Vol. III. n. 123. CONR. GVLIL. STRE-
tionis eiusque effectu: in Ej. Electio-
CKER diff. de eo quod iustum est
n. 123. Iur. ciu. T. II. exercit. XIII.

ius in re a debitore creditori per traditionem in securitatem crediti constitutum, quod nostri homines *Handhabend Pfand, Faust-Pfand*, appellare solent. Differt igitur pignus ac hypotheca ^{b)} et in eo, quod in hac ius retentionis locum habere nequeat ^{c)}. Quod ad pignus stricte sic dictum attinet, in id creditori pignoratitio' ius retentionis competit. Etenim ea est natura contractus pignoratitii, vt creditori res in securitatem crediti ita tradatur, vt soluto demum credito in specie restituatur ^{d)}. Itaque cum huic contractui naturaliter insit ius retentionis partemque securitatis faciat in re pignori data tamdiu retinenda, quamdiu creditum non sit solutum, sequitur, vt creditori pignoratitio ius retentionis in re oppignorata vi ipsius contractus adeoque tacita contrahentium voluntate competit, siquidem contrahentes in id, quod conuentioni naturaliter inest, consensiisse censemur. In iure retentionis ponitur debitum ex eadem re, quae retinetur, soluendum. Itaque illud ius ad debita cum re retinenda connexa adstrictum est ^{e)} ac neque iure ciuili neque iure Praetorio competit ob debita haud connexa: Attamen ius retentionis, quod ex natura

b) IVST. HEN. BOEHMER de diuerso pignoris et hypothecae iure: in Ej. exercit. ad π. exercit. 58.

c) CHRIST. LVD. CRELLII Obseruat. de retentione hypothecae ob

nouum debitum haud permissa: in Ej. Diff. Fasc. IX. p. 1506 seq.

d) s. vlt. Inst. quib. mod. re contr. obligat.

e) DAV. MEVIVS. P. II. dec. 214.

tura pignoris proficiscitur, ex GORDIANI Imp. speciali constitutione^{f)} ultra vim pignoris ex aequitatis ratione ad aliud debitum chirographarium eiusdem debitoris fuit extensum. En ipso verba: *Si in possessione fueris constitutus, nisi ea quoque pecunia tibi a debitore reddatur vel offeratur, quae sine pignore debetur, eam restituere propter exceptionem doli mali non cogeris. Iure enim contendis, debitores eam solam pecuniam, cuius nomine ea pignora obligauerunt, offerentes audiri non oportere, nisi pro illa etiam satisfecerint, quam mutuam simpliciter acceperunt.* Quae quidem specialis constitutio ultra eius verba non extendenda est, tum quia iuris ciuilis rationibus deslectit, tum quia tanquam rescriptum interpretationis laxitatem haud admittit^{g)}. Cum igitur in illo GORDIANI Imp. rescripto haud valeat argumentum, quod a consequentia peti solet, oppido falluntur, qui eo argumento decepti et extra causam pignoris in quolibet alio negotio ius retentionis ob debitum haud connexum competere sibi persuadent aliisque persuasum cupiunt^{h)}.

A 3

§. II.

f) L. vn. C. Etiam ob pecuniam chirographariam pignus teneri posse.

g) GERARD NOODT in Diocletiano et Maximiano Cap. II.

Cf. LÜDER. MENKEN diff. de retentione pignoris ab aliud debitum: in Ej. diff. iunctim editis (*Lipz.* 1705) diff. IX.

h) IAC. FR. LUDOVICI diff. de iure retentionis ex diuersa etiam causa competente, (*Hai.* 1716.)

§. II.


*Ius pignoris et quod huic ineſt, ius retentionis, per concurſum
creditorum ex iuris communis ſententia haud tollitur.*

Ius pignoris et quod ex huius natura proficiſci-
tur, ius retentionis, vtrum creditori pignoratitio etiam
moto creditorum concurſu faluum fit, adeo ut ipſe
eandem exceptionem retentionis creditoribus pignus,
antequam ſibi ſatisfactum fit, repetituris, opponere poſ-
fit, qua ſe aduersus iſum debitorem tueri poterat, iam
inquirere iuuat. Quae quidem quaefatio, ſi ex princi-
piis iuris communis diiudicetur, affirmari debet. At-
que eandem ſententiam tuetur *Io. Flor. RIVINVS*^{a)}
maxime ex his iuris rationibus, tum quia pignoris cauſa
tamdiu firmetur, quamdiu per ſolutionem vinculum non
resolutum, tum quia pignoris traditio fit alienationis ſpe-
cies, adeoque pignora vel non amplius in bonis debito-
ris vel non niſi diſſoluto nexo pignoris eſſe confeantur.
Verum enim vero aut egregie fallor aut illae rationes
dubitacioni adhuc locum relinquunt. Exponere iam
iuuat rationes, quibus nos effici poſſe putamus ius reti-
nendi pignus haud tolli per concurſum creditorum. Ac
primo quidem aequitatis ac iuris rationes haud permit-
tunt, vt iura perfecte acquisita fine iusta cauſa eripian-
tur aut infringantur. Nec excitato concurſu creditorum
idonea

a) in Problem; iur. de iure pignoris moto concurſu. (Lipſ. 1728.)

idonea inferuenit ratio, ex qua quis iure, quod iam antea aduersus debitorem intuitu ipsius bonorum priorum rite acquisiuit, sine iniuria priuari possit: id quod vel exinde patet, quia omnes dispositiones a debitore obaerato super bonis suis eo tempore bona fide factae, quo ipsi adhuc libera competiit bonorum administratio, et moto deinceps concursu subsistunt. Hinc Praetorem venditionem et locationem a debitore bona fide factam, vtut deinceps missio in bona eius impetrata fuerit, tamen seruasse auctor est V L P I A N V S ^{b)}. Quae de locatione bonorum debitoris obaerati etiam post motum concursum creditorum seruanda ex aequitatis ratione cauta sunt, ad conductionem bonorum alienorum a debitore factam argumento extendi nequeunt, siquidem locatio bona debitoris propria, in quae creditores, salvo iure conductoris, immittuntur, concernit; conductio autem, in quam debitori bona sunt data, pertinet ad bona aliena, in quae creditores missionem impetrare nequeunt, nec in ipsis ceu successores singulares obligatio ex conductione sui debitoris descendens transire potest. Eadem fere ratio est emtionis a debitore initiae, ad quam adimplendam creditores haud obstringuntur. Quare cum emitio Praetoris auxilio haud seruetur, a venditione ad emtionem consequentiae filius duci nequit. Sed ad nostram causam re-
deamus.

^{b)} I. 8. §. I. π. de reb. auct. iud. poss.



deamus. Quemadmodum cesso bonorum aut missio in ea non aliter fieri intelligitur, quam saluis iuribus ab aliis aduersus debitorem intuitu ipsius patrimonii iam antea perfecte acquisitis, vti ex iis, quae disputauimus, satis patet, ita quoque ius retinendi pignus creditori vi et potestate contractus pignoratitii competens, per concursum creditorum haud tolli, sed potius saluum persistere negari nequit. Deinde iura, quae in creditores vel ex missione in bona vel ex eorundem cessione transeunt, non nisi ex ipsius debitoris obaerati iure aestimari et possunt, et debent. Itaque creditores in bonis cessis aut ab ipsis ex edicto possessis plus iuris quam ipse debitor eo tempore habuit, confequi nequeunt. Etenim creditores vniuersa debitoris obaerati bona vi eorum cessionis aut missionis in ea hoc fine tenent, vt eadem *iure et nomine debitoris* distrahere, iisque distractis, quoad sufficiunt, indemnitat suae consulere queant ^{c)}. Quare creditoribus non minus ac ipsi debitori exceptio retentionis opponi potest, vbi pignus ante repetitur, quam creditum fuit exsolutum. His argumentis accedit denique ratio iuris ciuilis, quae *Analogia* vocatur quaeue maximam habet vim ad nostram sententiam confirmandam. Si duo creditores vnius eiusdemque debitoris concurrant, quorum alter rem pignori

et in uno motione haec sunt iuribus alii acceptam

c) l. 4. C. qui bonis cedere pos- de bonis debitorum post eorum cessio-
sunt. IO. AVG. HELLFELD progr. nem distrahendis; in Ej. Opusc. p. 561.

acceptam tenet, alter autem deinceps ex causa iudicati,
 vt eadem res pignori capiatur, petit, quaestio mouetur,
 vtrum creditor pignoratitius ad rem pignori acceptam
 prius distrahendam aut dimittendam cogi possit, quam ei
 fuerit satisfactum. **V L P I A N V S** hanc quaestionem ita de-
 cedit, vt creditorem pignoratitium haud prius teneri sta-
 tueret, pignus dimittere, quam soluto credito. Ita enim
 quod si res, inquit^{d)}, sit pignorata, quae pignori captata
 est, videndum est, an sic distrahi possit, vt, dimisso cre-
 ditore, superfluum in causam iudicati convertatur. Et
 quamquam non cogatur creditor rem, quam pignori
 accepit, distrahere: tamen in iudicati executionem ser-
 vatur, vt si emtorem inuenerit res, quae capta est, qui
 dimisso priori creditore soluere sit paratus, admittenda
 sit huius quoque rei distraatio: nec videtur deterior
 fieri conditio creditoris suum consecuturi, nec prius
 pignus dimissuri, quam si ei fuerit satisfactum.
 In hac specie ponitur, creditorem qui pignus teneat, in-
 ter praecipuos esse, nec ab aliis, qui iure potiori in
 eadem re gaudeant, vinci. Quare *Augustin. LEYSERVS* illam **V L P I A N I** decisionem eo modo restrin-
 gendam esse recte iudicauit dum, at si alii, inquit^{e)},
 concurrant, quibus antiquior aut ex alio capite potior
 hypotheca constituta est, creditorem posteriorum vel in-

firma-

d) l. 15. §. 5. π. de re iudicata.

e) in medit. ad π. spec. 231. m. 1.

firmorem possessio sua non tuerit l. 12. pr. π. qui potiores in pignore. Itaque si ex VLPIANI sententia creditoris pignoratitii conditio per executionem ab alio creditore petitam nunquam deterior fieri debeat, quid quaeso rationis est, quare eiusdem conditio per concursum creditorum deterior fieri ac ipsi ius in re ipsa acquisitum auferri debeat? Ast creditoribus ius in bona oppignorata, cum in debitoris bonis et dominio remaneant^{f)}, eatenus saltim competit, quatenus iis distractis, id quod excedit debitum, a creditore pignoratitio restituendum est^{g)}. Res salua est. Etenim creditor pignoratitius, licet distractionem pignoris, vrgentibus creditoribus, impedire nequeat, si emtor, ipso dimisso h. e. solutione debiti ipsi praestita, soluere paratus sit^{h)}, tamen pignus, solutione debiti haud imperata, ad massam concursus exhibere seque concursui creditorum immiscere haud tenetur. Iam fatis effectum spero, ex principiis iuris communis ius retinendi pignus per concursum creditorum haud tolli, dummodo pignus a debitore eo tempore sit constitutum, quo ipsi adhuc libera bonorum administratio competiit. Vix enim est, quod moneamus, oppignorationem a debitore post missionem in bona eorundemque cessionem factam inualidam esse indeque

f) I. 9. C. de pignor.

g) PAVL. WILH. SCHMID de iure retentionis circa pignus post motum

concursum in tantum cessante (Ien.

1761) §. 13.

h) l. 15. §. 5. π. de re iudicata.

deque creditori nullum competere ius retentionis. Ita enim **VLPIANVS** qui post bona, inquit¹⁾, possessa debitum suum recepit, hunc in portionem vocandum exaequandumque caeteris creditoribus, neque enim debuit praecipere caeteris post bona possessa, cum iam par conditio omnium creditorum facta esset.


§. III.

Retentio pignoris iure Saxonico Electorali in concursu creditorum exulat.

Iuri communi, ex cuius principiis creditori pignoratio ius retinendi pignus etiam moto concursu creditorum competit, in Saxonia Electorali *lege iudicaria repetitae praelectionis ad Tit. XLI. §. 1.* derogatum fuit. En ipsa legislatoris verba: *Und sollen im übrigen diejenigen, so ein ius retentionis, Unterpfand oder ander dergleichen Recht daran zu haben vermeinen, an die Kauff-Gelder sich gebührend zu halten, schlechterdings angewiesen werden.* Ex his igitur verbis perspicue apparet, creditem, qui res pignori acceptas tenet, moto in bonis debitoris concursu creditorum, bona oppignorata ad massam concursus exhibere teneri; attamen hoc iure, vt iis distraictis ex pretio inde redacto ipsi ceu creditori hypothecario prae reliquis omnibus creditoribus, qui non in prima classe collocati sunt, satisfiat; id quod patria *constitutione iudicaria*

B 2

¹⁾ 1. 6. §. 7. π. quae in fraudem creditorum facta sunt.



*ciaria iam supra allegata ad Tit. XLIV. §. 2. cautum est:
In rebus mobilibus ist weder eine gerichtliche noch außergerichtliche Verschreibung von einiger Wirckung,
sondern es hat allein derjenige, dem ein Pfand zugleich
übergeben worden, wann er es würcklich in Haenden
hat, gestalt das constitutum possessorium, oder eine Traditio fiduciaria, hierbey keinesweges zu attendiren, ein ius
reale dergestalt daran erlanget, dass er vor allen andern so nicht zur ersten Classe gehören, davon zu
befriedigen.* Fauore commerciorum nititur specia-
lis dispositio, qua securitati eius, cui merces ad vendendū
traditae sunt, (*Commissions-Waaren*) ^{a)} non solum
intuitu expensarum ob merces factarum, sed etiam si, lit-
teris cambii ad ipsum a domino mercium directis, quas
vulgo *trassatas* vocant, pecuniam soluerit, ita consultum
fuit, vt, moto in bonis committentis concursu creditorum,
ex mercibus vel pretio ex earum venditione redacto ad
massam concursus exhibendis, tantum retinere possit,
quantum ad indemnitatē commissario praestandam re-
quiritur. Hoc ius praecipuum, quod speciali rescripto
Io. GEORGII II. ^{b)} anno CIDIDCLXIX. mercatoribus Li-
pfienſibus

a) GERH. DOM. METTINGK de Ej. Exercit. iur. cambial. Cap. XI.
mercibus in commissionem datis (*Gies- Sect. II.*
fue 1747) CHR. GOTTL. RICCIUS b) in Cod. Aug. T. II. p. 2017. nec
de mercibus in commissionem mer- non ad calcem ord. proc. recogn.
eatori ad vendendum datis: in No. XX.

psiensibus datum nec non in *ordinatione cambiali Lipsiensi*
 §. XXXIV.^{c)} etiam ad bona tantum custodiae gratia tra-
 dita productum fuit, postea ex voluntate legislatoris in
Ordin. proc. recognita ad Tit. XLI. §. 1. omnibus reli-
 quis Saxonice mercatoribus tributum fuit. Quae qui-
 dem specialis dispositio stricte interpretanda, adeoque ad
 alia debita lege speciatim haud definita non extendenda^{d)},
 ac cum fauore commerciorum nitatur, tantum ad mer-
 catores quibus illud ius praecipuum datum fuit, restrin-
 genda est. Quae cum ita sint, a me impetrare non pos-
 sum, ut sententiae **RIVINI**^{e)} et **RICCI**^{f)} accedam, qui
 non solum mercatores eo gaudere commodo, sed etiam
 hoc ex lege allegata et aliis, qui mercaturam haud faciunt,
 accessisse statuunt.

§. IV.

Rationes dissentientis HOMMELII sub exstante vocantur.

Sed reuertamur ad retentionem pignoris, quam lege
 Saxonica Electorali vidimus, sublatam esse tam claris ac
 perspicuis verbis, ut vix dubitationem admittere videan-
 tur. Nihilominus *Car. Ferd. HOMMELIVS*^{a)} (at
 quantus vir!) contrariam amplexus est sententiam eam-


B 3 que

- | | |
|---|--|
| c) in der Stadt Leipzig Ordnungen
p. 91. et ad calcem ord. proc. recogn.
No. XXI. | Lipf. p. III. n. 3. |
| d) KOENIGK ad Ordin. cambial. | e) in diff. supra cit. §. XIV.
f) In l. c. §. 22. |
| | a) in Rhaps. obs. 378. |

que responso illustris collegii ICtorum Lipsiensium confir-
mare studuit. Audiamus ipsum H O M M E L I V M . Sae-
pius, inquit, quaestio incidit, an creditor pignus habens
liquidare debeat? Suadeo quidem, ut propter incon-
stantiam et lubricitatatem iudicantium creditor id faciat,
cum verba O. P. R. ad tit. 41. §. 1. rem dubiam reddunt.
Si tamen non fecerit, nescio an praecclusus videri et ad-
iigi possit creditor gratis pignus reddere. — Nec quem-
quam moueat, quod ordinationi processus recognitae ad
tit. 41. §. 1. in margine scriptum his verbis: Das ius re-
tentionis faellt im Concurse weg, cum hic marginali pla-
ne falso et in manifesto mendo cubanti textus plane non
respondeat. Addit denique rescriptum principis, per
quod L. vnic. C. etiam ob chirograph. pec. quodammodo
derogatum esse et in concurso creditori pignus NB. ob
aliud debitum retinere interdictum esse dicit. Itaque
cum hoc rescriptum in concurso creditori pignus solum-
modo ob aliud debitum retinere vetet, haec exceptio no-
stram regulam firmabit, ob pignoratitum debitum cre-
ditorem pignus retinere posse. Evidem has rationes
confutaturus non habeo, quod verear aliorum ac praefer-
tim eorum reprehensionem, qui me norunt H O M M E-
L I V M excellentis ingenii ICtum colere eiusque cineres
maxime venerari. Etenim id a me non sit ex libidine
ICto magni nominis contradicendi, sed quia vnu rerum,
quae in foris aguntur, edocitus cognoui, apud patronos cau-
farum

farum haud raro plus valere auctoritatem **HOMMELII**, quam voluntatem legis perspicue declaratam, ac super quaestione nostra nonnunquam moueri lites maxime temerarias, quae vix exorirentur, nisi sententia legi contraria egregium **ICTUM** nocta fuisse auctorem. Quare operae pretium me facturum esse existimem, si, refutatis argumentis Hommelianis, sententiam iuris Saxonici Electoralis extra omnem dubitationem collocare studem. **HOMMELIVS** in eo quidem me habet consentientem, dum ius retinendi pignus creditoris pignoratio competitens, per concursum creditorum in bonis debitoris motum, ex sententia iuris communis statuit non tolli, adeo ut creditor se concursui creditorum haud immiscere, quin potius, mota contra ipsum actione pignoratio directa, pignus haud prius restituere teneatur, quam soluto debito; sed quod huic iuri communi per legem **Saxoniam** Electoralem haud derogatum fuisse opinatus fuerit, in eo ut qui maxime ab ipso dissentio. Primo enim verba legis **Saxonicae Electoralis**, quibus iuri retentionis in concursu creditorum vis fuit ademta, admodum clara ac perspicua sunt ac summarium ad marginem notatum cum iis omnino conspirat. In ipso textu omne ius retentionis in concursu creditorum sublatum fuit^{b)}, siue id ex lege descendat,

b) Ex hoc principio Illustre collegium **ICTORUM LIPSIENSUM** mense Iulio 1779. vti Vir Generosissimus et Summe Reverendus CAR. GODOFR. de WINCKLER mihi benigne retulit, sic respondit: *So hat sich Caius (der Rit-*



scendat, siue ex dispositione priuatorum, ex quo genere est illud, quod ex natura pignoris et venditionis proficiscitur. Quod cum in tanta verborum legis perspicuitate negari nequeat, quis quaeso hoc summarium ad marginem notatum: *Das ius retentionis fällt in Concurſu weg*, ab ipsius textus verbis discrepare aliamque ac legi plane repugnantem sententiam continere sibi persuaderi patiatur? Deinde nec rescriptum ab **HOMMELIO** allegatum, quod ad omnia dicasteria patria datum fuit a. d. XXVI. Iul. CIDICCLXIV. e) sententiae Hommelianaæ fauere intelligentii, qui vel fugitiuo oculo ipsam legem perlegere. Etenim quaestio, quae in illo Principis rescripto proponitur, haec est, vtrum creditori vi ac potestate solius iuris retentionis in concursu creditorum praerogatiua præ illis competat creditoribus, qui iure potiori vel æquali haud pollent? Ante omnia hic obseruare iuuat, legislatorem rationem habuisse iurum ex diuerso iure retentionis descendientium. Scilicet omnis vis iuris retentionis simpliciter talis posita est tantum in iure, rem alienam ex sua possessione prius non dimittendi, quam de certo debito sit satisfactum. Cum igitur creditori ius in ipsam substantiam rei retinendæ haud competit, sequitur, vt nec solutionem debiti ex re retenta petere nec eam distrahere nec eius

alie-

Ritterguthspachter) so wenig derer wendeten Meliorationen halber des zur Caution erlegten 6000 Rthl. als iuris retentionis zu erfreuen.
derer ins Gut oder Inventarium ver- c) in Cod. Aug. cont. p. 411.

alienationem vrgere nec in concursu praerogatiuam prae aliis creditoribus sibi arrogare possit. Attamen nihil impedit, quo minus ius retentionis cum illo iure coniunctum esse possit. Est inde ius retentionis vel *simplex* vel *qualificatum*. Sic qualificato iure retentionis gaudet creditor pignoratius intuitu eius debiti, pro quo res pignori data est; sed eo soluto, ob aliam pecuniam chirographariam non nisi simplici iure retentionis^{d)}. Cum creditori, qui hoc simplex ius retentionis exercet, vi huius solius iuris, praerogatiua prae aliis creditoribus lege speciali haud data sit, sequitur, vt illud, moto in bonis debtoris concursu creditorum, non possit non vim amittere. Sed creditoris pignoratii ius retentionis qualificatum, cum fortius sit, quippe cum iure in ipsa re retinenda ac moto concursu, cum iure praelationis coniunctum, a reliquis creditoribus vinci nequit, nisi vi potioris iuris, quo in eadem re pollut. Iam ad ipsum veniamus rescriptum, in quo a legislatore quaestio mota ex iisdem principiis fuit decisa. Ita enim *Ob wir nun wohl, inquit, in dem Falle, von welchem bey bemeldeten beyden Concurzen eigentlich die Frage gewesen, wenn nehmlich ein Creditor, der für eine Forderung ein Pfand in Händen hat, nach Bezahlung derselben, solches Pfand wegen einer andern Forderung, dafür es nicht unterpfändlich eingesetzt ist, retainiret und existente concursu, ex hoc iure retentionis auch wegen der letztern Forderung, eine Priorität practendiret, einiges Vorzugs-*

d) ANT. FABER de erroribus pragmaticorum dec. I. err. IX. p. 30.



Vorzugs-Recht statt finden zu lassen nicht gemeinet sind;
So tragen wir dennoch solches ius prioritatis in allen an-
dern Fällen, wo das Retentions-Recht als ein quasi pi-
gnus, die Priorität nach sich ziehet, aufzuheben Beden-
ken. Exinde haud obscure patet, principem ex iure iam
constituto causam decidisse, nec voluisse nouum ius con-
stituere nec constituisse, multo minus legi iudicariae, qua
ius retinendi pignus in concursu creditorum ita sublatum
fuit, vt creditori ius competit, solutionem ex pretio di-
stracti pignoris prae reliquis exigendi creditoribus, qui non
in prima classe collocati sunt, derogasse, indeque ius com-
mune abolitum restituisse. Sane legislatores in iure novo
constituendo, ita, vti et ratio iubet, versari solent, vt
vel veteris, quod abrogatur, mentionem faciant, vel sal-
tim nouum ita proferant, vt et voluntas illud condendi
adpareat et nouum ius speciatim definiatur. Sed nihil ho-
rum in rescripto allegato factum est, ibique de lege, qua
ius retinendi pignus in concursu creditorum sublatum fuit,
abroganda nec vola nec vestigium appetat. In rescripto
non quaeritur, vtrum creditor pignoratius ius retentio-
nis in concursu creditorum exercere possit, (id quod ipsi
lege clara fuit ademtum) sed id tantummodo agitur, an
creditori pignoratio, cui ex constitutione **GORDIANI**
Imp. supra ^o allegata ius datum fuit, pignus, soluto de-
bito, pro quo id constitutum erat, retinendi etiam pro alia
pecunia mutua, quae sine pignore debetur, vi huius iuris
reten-

• §. 1.

retentionis simpliciter talis in concursu creditorum eadem
praerogativa competit, quae ipsi tributa fuit intuitu de-
biti, pro quo res pignori tradita est. Quam quidem quae-
stionem princeps ex iure jam constituto ita decidit, ut cre-
ditori vi solius iuris retentionis simpliciter talis ob pecu-
niā chirographariam ius praelationis in concursu credi-
torum competere negaret, salvo ceteroquin iure praero-
gatiuae, quod cum iure retentionis qualificato coniunctum
est. Ex hac vero decisione regulam, ex qua creditori ob
pignoratitium debitum ius retentionis competit, confir-
matam esse eo minus colligi potest, tum quia princeps
in rescripto, quando iuri retentionis locus detur, haud
definiuit; (id enim non agebatur) tum quia illa argumen-
tatio expressae legi, puta *Ord. Proc. Rec. ad Tit. XLI.*
§. 1. manifesto repugnat. Nolo diutius huic rei inhaerere.
Etenim qui haec, quae hucusque disputauimus, paulo cu-
ratius considerauit, is facili negotio intelliget, argumen-
ta ab H O M M E L I O contra illam legem proposita omni
vi esse destituta. Hodienum obtinet illud iuris Saxonici
principium, ex quo creditor pignoratitus rem pignori
acceptam, moto concursu creditorum, ad massam con-
cursus exhibere tenetur, salvo iure cum praelatione lege
definita coniuncto creditum exigendi inter reliquos credi-
tores. Atque secundum hanc sententiam etiam *a curia*
prouinciali in Saxonia suprema nuper admodum *in ter-*
mino crucis h. ai. causa per prouocationem ad eam devo-
luta fuit iudicata.

Iam

Iam restat, ut quare haec praefatus fuerim, exponamus. Cum ab illustri Collegio ICtorum Lipsiensium haec mihi potestas data sit, ut legum studiosos, qui, me praeside, super thesibus iuris controuersi disputationes, quas schedulares vulgo vocant, instituere velint, in cathedram ICtorum possim deducere, id more maiorum hoc scripto ac hisce litteris indicandum esse excilimauit, simulque Iuuenes Humanissimos Doctissimosque, qui meo sub moderamine super thesibus iuris controuersi in auditorio ICtorum disputaturi sint, nominandos. Sunt autem hi:

IOHANNES FRIDERICVS THEODORVS ROLLIVS
Luckauiensis.

CHRISTOPHORVS LVDOVICVS LEHMANNVS
Pegauiensis.

CAROLVS FRIDERICVS GOECKERVS
Grima - Misnicus.

RVDOLPHVS AVGVSTVS KOENIGIVS
Pietzschwitzio - Misnicus.

IOHANNES GOTTLIEB KLEMMIVS
Cygnavia - Misnicus.

IOHANNES GODOFREDVS THIEMIVS
Torgavienis.


Quos quidem Nobilissimos atque Doctissimos iuuenes, me prae-side, disputantes, vt VOS, GENEROSSISSI AC PRAE-NOBILISSI COMMILITONES, beneuole audire attus-que disputatorios, quos more maiorum pro valuis publicis suo quemque tempore indicaturus sum, honorifica Vestra praefentia ornare ac illustriores reddere velitis, maximopere Vos rogatos cupio. P. P. in Litterarum Vniueritate Lipsica Domini. XXV. post sefsum Tri-nit. A. R. S. CCCCCCLXXXV.

Leipzig Diss. 1785 A-0



f

56.



D E

1785, 16.

RETENTIONE PIGNORIS

IN

CONCVRSV CREDITORVM

SECVNDVM IVS SAXONICVM ELECTORALE
EX VLE

D I S S E R I T

ET

ILLVSTRIS ICTORVM COLLEGII CONSENSV
D I S P V T A T I O N E S

S V P E R

THESIBVS IN AVDITORIO ICTORVM INSTITVENDAS
I N D I C I T

IO. ADAMVS THEOPHILVS KINDIVS

IVRISSCENTIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTOR SVPREMAE IN PROVINCIA
CVRIAEC ASSESS. IVRIS SAXONICI PROF. PVBL. ORDINARIUS
ACADEMIAE LIPSIENSIS SYNDICVS.

L I P S I A E

E X O F F I C I N A B R E I T K O P F I A.

